


## NOTÆ POSTERIORES

In ea post Augusti nomen hoc apponebatur VVidonis monogramma.



DCCCXCI. n. 1. col. 1. lin. 15. Urbe. Hæc diversa ab Orba, sive Urba vico scilicet pagi Transjurenensis a Lacu Lemano XVIII. passuum millia distans, a Gallis Orbe, incolis Orbae nominatus, a quo ea vallis Urbæ nomen accepit; ibi erat castrum illud, in quo Umbertum fratrem Teutbergæ Reginae ob crimen rebellionis adversus Lotharium Regem capite fuisse multatum tradit annalium Metensium scriptor apud Bouquet *Rer. Gallic. Script. Tom. VII. pag. 94.* Hoc documentum habui a Cl. V. Meiranefio, qui ex tabulario Aquæsextiensis exscripserat, mihiq; dono dederat. Edidit autem paullo pridem C. V. Malacarne Ozj letter. ann. 1787. T. 2. pag. 224., prout acceperat a I. C. Mathæo Boccaccio, cui ego hujus præstantissimæ chartæ exemplar tradideram. Cur autem nonnulla omissa, ac mutata sint secus atque in exemplare a me ipsi tradito, prorsus ignoro: omissa autem ibi est linea 29. cum dimidia sequentis col. 1. mutatum fuit nomen Bodo in Bado; neque enim semper Bodo est Bado, sicuti Thebaldus non est Theobaldus, ut sibi facile persuadet auctor, sed quandoque ita differunt, uti differt inter se Rambaudus, & Theobaldus. Nam haud levia suppetunt argumenta, quæ persuadent circa hæc tempora vixisse duos Episcopos Bodonem unum, alterum Badonem, inter quos medius sedit Tedoaldus, ut latius in inscriptionibus Aquens. differam. Corrige nunc errata typogr. lin. 14. dompnus l. dompnus lin. 23. domini l. dompni lin. 26. hunc lege tunc.

DCCCXCI n. 2. col. 2. Haud ita pridem in manus meas incidit codex scriptus manu q. Francisci Turrii J. C., & Aquensis Civitatis patricii summo omnium dolore paucis abhinc annis fatis functi; ibi & hoc documentum cum alijs bene multis ex membranis, ac MSS. codicibus Tabularii Episcopalis descripserat. In eo autem nota temporis sic legebatur. Data pridie id. maii anno Dominicæ Incarn. DCCCXCI. indiæ. VIII. anno I. imperii D. Vidonis &c.; quæ annotationem nostram satis superque confirmant. Lectiones autem, quas meis antefendas puto, hæc accipito lin. 4. comparente lege comperiat. col. 3. lin. 7. solita lege solite l. 8. rectam lege ratam lin. 17. dele quælibet lin. 18. deque lege de. Quoniam autographum evanuit, præstat saltem membranæ, ex qua multa hinc inde exemplaria manarunt, antiquitatem noscere. In ea siquidem præmittitur Guidonem Ep. Aq. ad postulationem Ven. D. Alberti Baudeten. Archipresbiteri Plebis de Bistagno Pellerino Pelleri Notario de Incisa præcepisse, ut ex archetypo exemplar sumeret, cujus collatione cum ipso facta adamussim inter se respondere Franciscus Novellus de Tertio, & Johannes Pignorius de Incisa Notarii scientes probarunt.

DCCCCXXXVI. n. 4. col. 6. Et hæc charta ex illis est, quas ego J. C. Mathæo Boccaccio libens, volensque jam aliquibus abhinc annis communicaveram, qui sua laude haud defraudari debuerat a Vinc. Malacarne, cum ab eo exemplar sumserit quod edidit pag. 228. Optandum autem esset, ut iste sicuti editionis palmam alijs præripere gestiebat, ita diligentiam in exscribendo probasset suam, nec lineam 24. omisisset, uti & aliam omiserat in præcedenti diplomate.

DCCCCLXVIII. n. 5. col. 7. Hanc quoque a J. C. Mathæo Boccaccio, cui ego exemplum dedi, habuit Vinc. Malacarne. Quid autem sit dies ille Domini, quo facta fuit a Valfredo pia illa donatio, viderit ipse. Cæterum noverit Lector legendum ibi non in die Domini, ut perperam ille, sed in Dei nomine, ut recte habebat Meiranefii exemplar ex tabul. Aquisextiensis exscriptum, ac meum.

DCCCCLXXVIII. n. 6. col. 7. Exhibeo codicis Turriani melioris notæ lectiones col. 8. lin. 1. Episcopo lege Episcopio. lin. 14. proprio l. proprietario lin. 21. Seritello l. Saritello. Monuit C. V. Marchio a Bofia in agro Veximarum regionem adesse in veteribus chartis Saricellum nuncupatam, & vulgari idiomate Sarsci, ubi citra Burmiam Ecclesia Parochialis nonnulla prædia possidet. Sita est illa regio inter meridiem, & occasum oppidi. lin. 34. Episcopo l. Episcopio lin. 55. Astesech. l. Altesech. lin. 59. Archicapellani l. Archicancellarii. In notis hæc irrepererunt errata Typographi incuria col. 9. lin. 29. conditio. Quibus l. conditio, quibus. lin. 25. perturbatio l. perturbatio.

Carta autem, quam in notâ 9. col. 9. nominavi, cum alia forte historiae utilia contineat, sic se habet.

Anno Domini MCCLXXXIV., indictione XII., die lune VI. februarii. In caminata D. Uberti Aquensis Archidiaconi presente D. Frederico Aquensis Ecclesie Archipresbitero, Henrico filio domini Loterii Baudezoni de Bestagno, & Bertolino filio Jac. Goslini de Bestagno testibus rogatis D. Ubertus Aquensis Archidiaconus, & Opizinus de Acuto de Sexamo faciunt ecc. providum virum D. Arnaudum de Platea Prepositum Astensis Ecclesie licet absentem eorum procuratorem ecc. in causa ecc., quam habent ecc. cum Odone de Cauro q. Clerico de Sexamo coram D. Gullielmo Archipresbitero Pontine plebis, qui dicit se delegatum Rev. Patr. D. B. miseratione divina Portuensis Episcopi Apostolice Sedis Legati ecc.

Ego Bertolinus Baudezonus Not. Pal.